

Omnes autem illi, qui spiritu Christi excitari, incendi, regique volunt sacrae se mancipent psalmodiae, ut Spiritum Sanctum, per psalmos loquentem et docentem audiant, et ex eius institutione sapiant. Per Psalmorum meditationem, Spiritus Sanctus homines illuminat ac viuificat, eisque mysterium Messiae reuelat, Psalmis igitur rite utendum est, si volumus, ut donorum spiritualium copia in corda nostra effundatur. Peragendum autem opus, quod Apostolus Ephesiis iniungit, tanquam medium acquirendae plenitudinis spiritualis, consistit in meditatione Psalmorum, ad propriam, et aliorum etiam salutem ac aedificationem. Vult, ut sint λαλῶντες ἑαυτοῖς ἐν Ψαλμοῖς ut sint loquentes sibi metipsis per psalmos, hymnos, et cantiones, ᾄδοντες καὶ ψάλλοντες ἐν τῇ καρδίᾳ τῷ κυρίῳ cantantes et psallentes domino in corde. In his verbis requiritur accuratior Psalmorum consideratio, ne ore tantum, sed corde etiam Dominum Psalmis celebrent, eosque ad propriam aedificationem bene perpendant. Non profunt Psalmi, nisi rite intellecti, ideoque de vero Psalmorum sensu, et usu vobismetipsis loquamini. Id est, etiam atque etiam meditandum est, quid sibi volunt verba Spiritus Sancti, qui per Dauidem in Psalmis locutus est, et ex Psalmorum institutione, deinde propriae emendationi studendum est. Illi homines loquuntur sibi metipsis per Psalmos, qui legentes vel cantantes Psalmos sic considerant, ut ex iis salutarem rerum diuinarum cognitionem hauriant. De usu et applicatione huius cognitionis ad praxin, illi sibi metipsis loquuntur, qui meditantur de Psalmis in usus suos conferendis, ut ex iis illustretur intellectus, corrigatur voluntas, et omnes excitentur affectus, ad amorem, studium et obsequium Spiritus Sancti. Eiusmodi sacrae meditationes praecipue sunt necessariae inter cantandum, ne clamor, sed amor psallat in aure Dei, ne labiis tantum appropinquemus ad Dominum, corde procul remoto. Nam horae canonicae, quibus sine intellectu et meditatione Psalmi recitantur, contemnendam cultus diuini partem constituunt, quia 1) non adsunt λαλῶντες ἑαυτοῖς ἐν Ψαλμοῖς loquentes sibi met ipsis in
Psal-